

Wc  
543









H. 67, 35.



Perseus Academicus,

J E N Æ

Cum.

*Illustrissimus & Celsissimus Princeps  
ac Dominus,*

**Dn. JOANNES**

**ERNESTUS JUNI-**

**OR, DUX SAXONIÆ, JULIÆ,**

**CLIVIÆ ET BERGÆ, LANDGRAVI-**

**US THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, CO-**

**MES MARCHÆ ET RAVENSBURGI, DOMINUS**

**Ravensteinii, DOMINUS noster,**

**Clementissimus,**

**Academiae Jenensis Rector Ma-**

**gnificentissimus decimum XXV. Februar.**

**Anno 1613. renunciaretur, publicè in**

**scenam introductus**

A

**M. THOMA SAGITTARIO,**

**Professore Publico.**

**TYPIS DESCRIBEBAT JOHAN-**

**NES WEIDNERUS.**






BIBLIOTHECA  
MONIGKAVIANA






 STVDIOSÆ IUVEN-  
TUTIS.

**D**ersea Academicum,  
 tibi, Juventus selecta & dilecta,  
 exhibeo. Ne mireris. Causas po-  
 tius perpende, & quid ego velim.  
 Ego verò velim? imò ipse noster ordo, vel  
 qui ordinis autor est & fautor, Deus, expen-  
 de. Magistratum ceu in specula collocavit  
 ille, bonorum defensorem, malorum de-  
 pressorem. Ecquid resistes? cave, cave.  
 Ferit ille, & ferit vehementer resistentes.  
 Nosti Homericam Jovis Deorumq; cathe-  
 nã. Hac in Superi omnes ab uno illo summo  
 dependent. Rides? Nolim. Ad verum Nu-  
 men & verbum te verte, & videbis cathe-  
 nam, quam nec Inferi omnes dirumpent.  
 Nempè: *A Deo Magistratus & subditi  
 colligati sunt Majestatis & obedientiæ vin-  
 culo quod, qui tangit, seipsum angit, & ut vi-  
 trum frangit.* Durum certè contra stimulū



calcitrare. Durius, contra Magistratum. Durissimum, contra Deum. Sed boni cum Pallade à Persei stant partibus. Piè, rectè. Deum enim hìc habent ducem, imò rectorem & protectorem. At quis hoc duce errabit? quis rectore impinget? quis protectore occumbet? Angelos comites. At quis hisce comitibus pedem lædet? *Λειτουργικά* sunt *πνεύματα*, quæ manibus portant justos, & qui aliquando vitæ æternæ hæredes, imò *ισάγγελοι* futuri. Magistratum fautorem & promotorem. At quis hoc fautore algebit? quis promotore egebit? En catherenam felicitatis, quam innuo. Magistratum v. qui rident, Deum habent osorem, judicem, & vindicem. At quis hoc osore felici procedet tramite? quis iudice irato flectet sententiam? quis vindice effugiet pœnam? Profectò *ἔκδικον* hoc est *ῥμμα*, & quod vel ipsa cordis penitissimè excutit penetralia, imò fibras quascunque. Benè Pindarus:

*εἰδὲ θεὸν  
ἀνήγεις ἔλπεται γι λαθε':  
μὲν ἔρδων, ἀμαρτάνει.*

Angelos



3

Angelos hostes. At quis hisce hostibus ex a-  
cie non profugiet? imò quis non cadet in  
ea? Magistratum exactorem & oppresso-  
rem. At quis hoc exactore foro se subdu-  
cet? quis oppressore ad honores ascendet  
ullos? Jam ergo, jam vos, ô Juvenes, eligite.  
Utrum vultis? Hac ex parte felicitas, ex illâ  
infelicitas: Hac bona conscientia, illa  
mala: Hac lætitia & verum gaudium: illâ  
tristitia & dolor æviternus. Sed bonum præ  
malo, credo, vultis. Sic rectè, ô sanguis be-  
nedicte. Sic rectè. Sic decerpas, imò usur-  
pes

*ἱερὸν ἐν ζωᾷς ἀώλων.*

dum vobis suppetit occasio, quæ præceps

— ὁ γὰρ

*καρθὺς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει.*

& Ætas & Æstas, quæ fugax & fallax.

Nam:

*citò pede labitur ætas.*



P R Æ F A T I O.

Et:

ὄν αἰεὶ θέρους ἕσσειται, ποιῆσθε καλίας.

Fructus non deerit, nec fama, qua vix  
quid melius militanti, imò triumphanti.

Τὸ δὲ παθεῖν ὡς πρῶτον ἀέθλων,

εὐ δ' ἀκχεῖν, δευτέρου μοῖ:

ῥ', Ἀμφοτέρουσι δ' ἀνὴρ,

ὅς αἰ ἐγκύρση καὶ ἔλη

σέφανον ὑψιστον δέδεκται.

Hoc, Vobis, ô mei, spondeo, hoc voveo.  
Valetate & florete. Dab. Jenæ XXIV. April.  
Anni M. DC. XIII.

Tuus

*M. Thomas Sagittarius*  
*Profess. Publicus,*

*Academiae p. t. Pro-*  
*Rector.*

E I D E M.



P R Æ F A T I O.

E I D E M.  
P A R O D I A H O R A T I A N A  
ex prim. Carm. Od. XXXI.



Quid delicatam poscis imaginem  
vitæ? quid oras, ex animo novos  
horrens labores? Non opimas  
otia dant segetes quieta,  
non invidorum pocla sodalium,  
arrepta mensis, non gladii aut mina,  
non cura, quæ somnos requirit,  
replet aquis Sophia cerebrum.  
Ornes Jehova munera, cui dedit  
fortuna vires, dives ut anxio  
amator acquiras labore  
dona piis reparata votis  
Dis chara magnis, quippe ter & quater  
die revisens ludum Academicum  
cum laude. Te pascunt Camæna  
te Charites, facilisq; Suada.  
Frui paratæ & sic valida tibi  
Jehova donet, sed precor integra  
cum mente, nec turpem juventam  
degere, nec studiis carentem.

A L I A.



P R Æ F A T I O.

A L I A.

Ex eodem Lib. I. Carm. Od. XXXII.

**D**iscimus si quid faciles sub umbrâ  
condimus tecum, quod & hunc in  
usum. [ptas,  
vergat & plures. Age dic quid o-  
chara juvenus,  
& Deo, & doctis operata Musis,  
quæ tenax cœpti, tamen inter ignes,  
dum famem jactata sitimque sedas  
pane doloris,  
concinis, patri benè fisa, Jovam,  
Spiritusque & Christum tibi dedicatum,  
& Duces castis studiis piaque  
lege decoros.  
O decus mundi, & dapibus supremi  
Cæsaris condigna novis, laborum  
grande fulcimen, mihi sæpè salvè  
ritè faventi,

*Sagittarius.*

ORA-





3

ORATIO DE  
MAGISTRATV  
ACADEMICO.

**R**efert Cominæus, Illustrissimorum & Celsissimorum Principum ac Dominorum, Dn. JOHANNIS ERNESTI Rectoris Magnificentissimi, & Dn. FRIDERICI, Ducum Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Bergae, Landgraviorum Thuringiae, Marchionum Misniae, Comitum de Marcha & Ravenspurck, Dominorum in Ravenssteinio, Dominorum meorum Clementissimorum, Legate Magnifice, Vir Amplissime & Consultissime Dn. D. LAURENTI BRAUN, Aulae Vinarientis Consiliarie dignissime, vosque Viri Magnifici, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, & vos Viri-Juvenes lectissimi & dilectissimi, refert, inquam Cominæus, cum jam Carolus, & qui ejus partes tum temporis contra Regem Galliarum sequebantur & tuebantur, ipsam Lutetiam accessissent, nunciumque de hostis adventu accepissent, speculandi causa praemissos esse equites, qui quidem non usque adeo procul confertum esse exercitum opinantes, tandem tamen, longius progressi caelo tam sereniori cognoverint cum locum, in quo putaverant

B

hostem



hostem consistere, confitum esse præaltis carduis, qui ex longinquo hastarum speciem præbuerint. Quare ad Duces delata totus exercitus in risum solutus sit. Hisce equitibus, qui aliàs ignavi sunt, & rerum Politicarum planè ignari, non absimiles esse ajunt illos, qui, si ad gubernacula rerum primùm adhibeantur, vel etiam aliquandiu adhibiti fuerint, plus quàm muliebres emittant voces, imperiumquæ omne, vel quavis etiam arte subterfugiant, vel si honestè non possint, perpetuò de contemptu Magistratus, de Legum impotentia, de summa gubernationis difficultate, dequæ civium plusquàm cyclopica audacia & fremitu conquerantur. Sed cum jam ad verum ventum sit, tùm mores sensusquæ repugnare, ipsumquæ Magistratum præ hostibus carduos extimuisse, neque rem tanti esse periculi, aut tantæ molestiæ, quanta quidem illa fingantur, & pingantur: sed potius hunc ceu Jovem Homericum perpetuò apud Antipodes interesse convivio, musicesquæ, ipsius etiam Apollinis vel Jopa Virgiliani, suaviter delectari concentu, neque ullis, quæ quidem alicujus momenti sint, curis vel tangi vel angere.

Verùm enim verò si nubes opinionis perversæ & stolidæ istis oculis detrahatur, resquæ excutiatur aliquantò diligentius, deprehendemus, hosce socios ab ipsa janua veritatis & severitatis aberrare, Midæquæ aures asininas immane quantum proderet, neque dum Diaboli insidias, juventutis enormes impetus, & non tam *πλημμελήματα* quàm *ἀδικήματα*, mali consortii ef-

ficaciam



ficaciam planè lethalem ipsiusque mundi extremam  
 caniciem, & jam jam impendentem πανολετρίαμ non  
 olfecisse, nedum introspexisse. Quæ omnia in hac  
 quidem omnium rerum confusione & ἀτάξια tanta  
 sunt, ut ne quidem ipsa Pitho meliorem viam & vitæ ra-  
 tionem hominibus persuadere, non Hercules sive  
 clava sive linguæ suæ cathenulis à proposito absterre-  
 re, non Phalaris, etiam suo tauro ad honestatis amo-  
 rem adigere, non ipse Vulcanus suum hunc Epime-  
 thea ad virtutis montem alligare possit & compinge-  
 re, usque ad eò hodiè cives, cujuscunque tandem sint  
 ordinis, κατὰ πάθος vivunt, rationis istius divinæ ἀέγ-  
 λως excutiunt jugum, & ceu Ovidiani isti, non jam So-  
 lis, sed Phaëtontis

*Expatiantur equi, nulloq; inhibente per auras  
 ignota regionis eunt, quaq; impetus egit  
 hac sine legerunt, altoq; sub aethere fixis  
 incurfant stellis, rapiuntq; per aëria currum.*

Quod ut veluti in pariete depingam, & unde tandem  
 hisce moribus & temporibus, adversis certè & per-  
 versis, magistratus suum petere & expectare debeat  
 auxilium & consilium, (quia ita jam volunt mei, DE-  
 US, PRINCEPS, & PATRES CONSCRI-  
 PTI,) ut muneri & loco meo respondeat Oratio,  
 PERSEA ACADEMICUM, illi Ovidiano plus-  
 quàm similem, & boni Ducis piique Magistratus no-  
 bis adumbrantem officium, in medium, ceu in sce-



nam Amphytruonem, introducami, paucissimis ostenturus, Magistratus curas, quamvis nunquam securas, subditorum ferè semper incurrere odia, injurias & contumelias, neque diu posse hanc Imperii sphaeram à superioribus torqueri aut gubernari, nisi Deus ipse manum operi admoveat, & ceu primus motor & promotor omnipotente dextera hasce ordinis sui rotulas circummagat, & contra omnes insultus & tumultus fortiter defendat.

Quare à vobis, Auditores optimi, eâ, quâ possum, & debeo, animi submissione contendo, ut sicut corpore, ita & animo præsentés adsitis, vestraq; humanitate & benevolentia hoc vile & exile genus dicendi sublevetis, Ego unicè daturus sum operam, ut quodcunque tandem vobis in audiendo tædium suborietur, brevitate diluam, vosque citius, quàm speratis, ex hoc theatro ad jucundiora colloquia & aërem temperatiorem dimittam.

--- *Audite ergò hæc ò mentibus æquis.*

Perseus ille Ovidianus Jovis fingitur esse filius, at, ipso tamen Polydeste, patruo materno, in exilium ejicitur, & ut certo mortis periculo exponeretur, ad caput Medusæ, quæ aliàs aspectu suo homines in saxa & silices convertere solebat, auferendum specioso admodum prætextu ablegatur. Sed quid fit? Perseus *Viperei referens spoliū memorabile monstri  
æra carpebat tenerum stridentibus alis.*

Ecce



Ecce, ecce Magistratus est ille Perseus. Hic enim firmissimis à Deo constitutus est firmamentis, quæ ne portæ Inferorum subruere possunt, & evertere. Et tamē hunc Diabolus variis impedit machinis, variis impedit remoris, & variis undiq; cingit draconib. & monstris, spe ductus certa futurum, ut Magistratus suo in hoc onere vel succumbat, vel certè civium audacia, potentia, & malitia frangatur, fasces abiciat, malis cedat, & ubique terrarum omnia susque deque ferri patiat. Sed vanæ sunt hæ spes Diaboli, vani conatus, vana consilia. Deus est, Deus est, qui hæc Medusas, hoc est, homines perfractos & aliàs exleges, legum tamen velut fulmine proster nit, & ceu Gigantes ad infima Tartara detrudit. Fremat & gemat licet Medusa, omnesque in saxa & sili ces convertat, hoc est, mala illa hominum cohors & colluvies impio suo consortio & colloquio bonos quosque suam in nassam pertrahat; vel minimum suo è sanguine serpentes producat & progignat: Deus ta men est, Deus est, qui suos contra omnes omnium afflatus, contra virulentos morsus, contra venenata spicula puros & salvos conservare potest, imò ex ipsi us Medusæ utero Pegalum, hoc est, bonos, quique maturè resipiscant, & cum antea omnium ultimi es sent, jam primi fieri incipiant, &

*sublimi feriant sidera vertice,*

elicere, & ne Magistratus incassum labore, efficere. Hæc est illa Metamorphosis, qua Deus ille sapientissi.



mus Magistratus benedicit laboribus, & Pegasus ex infima sæpè hominum fece & abjectissimis ruderibus sibi eligit & evocat. Ille unguam suam fontem Hippocrenes aperit

----- *Et ad latice deducit Pallada sacros.*

Ecce, ecce. Magistratus, in primis Academicus, si suo in officio cautè & sedulo procedat, & unguam suam, hoc est, labore, vigilantia, fide solum Musarum percutiat & excolat, tùm ad omnes terræ angulos emittit, qui aliquando Ecclesiæ sint fulcra, scholarum columnæ, Reipublicæ stabilimenta, & omnis salutis velut fontes, ex quibus ceu olim ab aquis Hippocrenes Musæ, vitam & omnem prosperitatem omnes hujus mundi status & ordines petent & auferent. Quod pio Magistratui magno debet esse solatio, quod, etsi ubique temporum & locorum suos experitur Polydestes, à quibus non tantùm variis modis affligitur, sed etiam, si Deus permitteret, ad extremos usque Garamantas facile ablegaretur, in sua tamen hac statione Dei præsens quotidie sentit & cernit auxilium, inque cœlo suo tamen sidera quædam suos cursus probe peragere, & ceu planetas è Zodiaco honestatis & virtutis non egredi, suamque pietate & eruditione velut tacita quadam influenza orbem hunc universum animare & armare, quamvis & hîc non paucæ stellæ cadentes, Dracones & ignes fatui appareant, omnesque campos & plateas, imò ipsum aërem turpi clamorum halitu afficiant & inficiant, & non peregrinos tan-

tùm, sed



tum, sed & ipsos cives, qui tamen hospitium præbent  
& alimoniam suppeditant, incurserint, divexent, & in da-  
mna cladesque, quantum in ipsis est, præcipites agant.  
Sed ad cætera pergendum est.

*Perseus, quamvis*

-----per immensum ventis discordibus actus  
nunc huc non illuc exemplo nubis aquosæ  
fertur, & ex alto seductas æthere longè  
despectat terras, totumq; super volat orbem,  
ter gelidas Arctos, ter cancrachia vidit  
sæpè sub occasus, sæpè est abli in ortus:

Tamen ab Atlante non excipitur, sed hospitio omni  
prohibetur. Fallor? an & hic Magistratus etiam Aca-  
demicus Persei fortunam quotidie experiri cogitur?  
Profecto experiri cogitur. Quot enim hic devorare  
debet molestias, quot labores exantlare, quot curis  
distendi, & saltem non diffringi? Agricolis apud Vir-  
gilium

-----redit labor actus in orbem.

Certè & Magistratui Academico redit major & dif-  
filior, quod agricolæ tuto die cibum, nocte somnum  
capere possunt suum, & vires lassas quietè recuperare,  
manè ad præscriptas surgere operas, &

*aut adulta vitium propagine  
altas maritare populos,*

aut



*aut in reducta valle mugientium  
prospectare errantes greges,  
inutilesq; falce ramos amputare  
& feliciores inserere,*

ut mihi hæc de suis det Horatius,

*Quis non hic?*

*quis non malorum, quas amor curas, habet,  
hæc inter obliuiscitur!*

At Magistratus Academicus, si vix mensæ assedit suæ, mox ostium Davus pulsatur, vel etiam Thais bellatula, vultum sanguine & sanie opplera, scissis capillis, laceratis vestibus, ejulans, vociferans, mare Neptunumq; inclamitans, pudicitiam violatam, caput vulneratum, famam læsam esse conquerens, testes enumerat, damnum exaggerat, Cornelium citari petit, restitui famam, numerari precium, adversarium continuo ablegari vult, vel in carcerem intimum sine ulla misericordia detrudi, Rector cultellum deponit, & cibum vix mansum, ore etiam circumgestans, pennam capit, nomina accusantium & accusatorum consignat, horam indicit & præfigit. Citatur Cornelius, comparet, accusatur. Respondet, factum negat, illa instat, factum esse ait. Hic jam fit *σύρραξις*, totis sæpè viribus clamatur, sudatur, ut vix verbum suum ipse Rector inaudire possit, parumque absit, quin rixis istis & tumultuationibus in lipothimiam solvatur, aut ad phre-

fin adi-



fin adigatur. Tandem, tandem jubet ante ostium  
 præstolari litigantes, deliberat cum suis adfessoribus,  
 interim illi ante fores rixantur, tumultuantur, parūq;  
 abest, quin mutuos in capillos sibi involent, & domum  
 Rectoris sanguine compleant. Revocantur, dicta-  
 tur sententia. Auditur. Pars una, si quæ modera-  
 tior, acquiescit, & gratias submissè agit: Pars alte-  
 ra excipit, sibi ingentem fieri injuriam conqueritur,  
 se immeritam condemnari, se tantam pœnam per-  
 ferre nec posse, nec debere, vixque tandem persua-  
 detur, quandoque etiam cogitur, ut legibus se subji-  
 ciat, decreto pareat, & pœnam graviolem, quæ  
 contumaciæ comes est, effugiat. Et sic totus dies à  
 summo mane usque ad seram vesperam disputando,  
 perorando, rixas & contentiones ut plurimum audi-  
 endo consumitur, dixerim verius, perditur. Et quî  
 enim id non perditur? quod frivolis quandoque, &  
 plus quàm siculis gerris vanioribus concedi debet al-  
 tercationibus & controversiis, quæ absque Magistra-  
 tus ope & opera, si modò pacem & concordiam ama-  
 rent homines, facile componi potuissent, & absque  
 strepitu animique exacerbatione seponi. Quid  
 quæso non perditur? si quod vocationis officiis desti-  
 natum est aliàs omne, nunc vanis & prophanis cla-  
 moribus, quibus aliàs facile carere poteramus &  
 debebamus, compescendis impenditur, interim le-  
 ctiones & alia honesta, utilia, & necessaria exercitia  
 non ad septimanam, sed ad mensem unum, imò sæpè  
 etiam alterum, interrumpuntur, suspenduntur, &

C

quandoque



quandoque etiam planè auferuntur. Sed die præterlapso forsan Magistratus noctu ad hortos Hesperidum exspatiatur, ibique poma aurea & omnis generis flores suavissimos ad lychnum etiam contempletur, tandemque in gremio Musarum suo in lectulo suaviter obdormiscit. Utinam, ô iterum utinam posset. At date mihi Oculum, cui cum ventis, qui

*--magno cum murmure montis  
circum claustra fremunt,*

Semper non sit dimicandum & colluctandum. Et dabo vobis Rectorem, qui tranquillè vel unicâ nocte dormire possit, nec curis veluti Tytii aut Promethei vulture continuò distorqueatur, & non singulis momentis quoad divinum vitæ ignem & demensum depascatur & absumatur. Præterquam enim quod undique saluberrimis præceptis & monitis non obtemperari, decretis & legibus non pareri quotidie cum dolore experitur, illaque inobedientia cor adurit & exurit suū; vix sæpè suo in lectulo laboribus fractus & defatigatus, ægrèque spiritum ducens suum ad somnū sese componit, ecce tympanæ tonus, non aliter ac si media in castra jam hostes irruerent, omnia raperent, tunderent, prosternerent, auditur, clamatur, pugnatur, lapidibus, faculis, gladiis & fustibus eminus-cominus, dimicatur, tandemque ad publicum sæpè tumultum res deducitur, unus, aut alter graviter vulneratur, quandoque etiam trucidatur. Hic ad ades Rectoris accurritur, pulsatur, reus accusatur, & custodiæ tra-

dendus



dendus indicatur. Bone Deus, quæ hîc non mentis consternationes, non vitæ ipsius pericula, non maledicorum injuriæ & sinistra judicia, quæ si quis levicula & ridicula esse putaverit, neque magis bonum Magistratum tangere & angere, quàm folii cadentis strepitum, aut *μορμολυκεία* umbram, aut lentis unguentum, is ad agnatos & gentiles, ad quos olim mittebantur furiosi, abeat, & helleborum bibat, ut purgato cerebro de summa Magistratus Academici difficultate, magnis injuriis, præsentissimo quandoque vitæ periculo rectius judicare discat, & ipsemet in sese descendere, quo decreta hujus, Dei decreta esse statuatur, nihilquæ prius habeat, nihil antiquius, quàm juramentum suum, quo Academia est obstrictus, semper recenti vovere & revolvere memoria, vitamquæ suam ad leges justissimas temperare, & pœnas gravissimas evitare. Sunt enim, sunt profectò illis, qui legibus justis, qui decretis æquis, qui præceptis saluberrimis, qui admonitionibus paternis nullum suo in corde hospitium concedunt, nullum locum relinquunt, graviores longè, quàm Atlanti isti, qui Persea excludebat, propositæ pœnæ.

Ille enim,

*Quantus erat mons factus Atlas. Nam barba comæq;  
in silvas abeunt, juga sunt humeriq;  
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen,*



*ossa lapis fiunt :*

Sed hi non in montes, non in saxa abeunt, (quod forsan tolerabilius esset futurum, utpote qui sensucariturus erant omni, nec ullas calamitates devoraturi, nec tam longo tempore poenas daturi,) sed in homines vix semisses abjectos & despectos, quos etiam pueri, digitis monstrant, & quam benè juventutis florem, sumptusque & tempus in Academiis collocaverint, etiam cum sibilo, & pedum manuumque explosione, prædicent, usque ad eò, ut omnium fabula sint, & in infima sæpè Reipub. sentina hæerere cogantur, neque unquam ad honesta officia aspirare possint, & si maximè aspirent. (Et hoc enim in loco fortuna cæca est, & non rarò a sinos cytharæ præficit & lyræ,) tamen semper gerunt

*---tacitum sub pectore testem.*

nec opus, ut alibi quarant Phlegethontes, Avernos, Furias, Erynnias, satis istorum tortorum suo in gremio circumgestant, & nocte dieque istius avis nunquam inter morturæ morsus persentiscunt. Sic rectè

*---fataliter angor*

*omne nefas sequitur, nec habet mens conscia  
pacem.*

Sic rectè nemo crimen in pectore gestat, qui non & Nemesein intergo. Nempe hi sunt illi Atlantes, qui olim Persea deridebant, & se cælum suis humeris su-

finere



stinere posse præsumberant. Nunc bajuli sunt, & vel  
 Iro pauperiores. Nempe hi sunt sidera illa, à quibus  
 lumen & calorem Ecclesia petere debuisset, & acci-  
 pere, jam ipsi lychno indigent & oleo, quo pasti fa-  
 me non pereant, & ventrem, quem olim phasianis &  
 turdis saginabant, pane atro & glandibus saturent.

Sed ne vos, Auditores, a quo diutius detineam,  
 quod restat unicum paucissimis attingam. Perseus  
 quamvis indignè ab Atlante tractatus

*---pennis ligat ille resumptis*

*Parte ab utraq; pedes, teloque accingitur unco,  
 Et liquidum motis talaribus aëra findit,*  
 inque isto suo itinere Andromedam Virginem

*---ad duras religatam brachia cautes.*

Vidit, & cum parentibus de filia sponsa pactus Draco-  
 nem, cui exposita erat virgo, occidit, & Andromedam  
 sponsam suam liberat, secumque domum reportat.  
 Quid cogitatis? Auditores. Quid cogitatis? Opti-  
 mè scilicet cum Perseo actum, habeat sanè suam An-  
 dromedam

*---secum, servetq; sepulchro.*

O utinam tranquillè habeat, & quam habet, tran-  
 quillè possideat. Sed nec tranquillè habet, nec quam  
 habet, tranquillè possidet. Etsi enim hoc vincente  
*littora cum plausu clamor superasq; Deorum*



implevere domos, gaudent, generumq<sub>3</sub> salu-  
tant,

auxiliumq<sub>3</sub> domus servatoremq<sub>3</sub> fatentur  
Cassiope Cepheusq<sub>3</sub> pater.

Ipse verò

--tanti premia facti

indotata rapit.

Tibiaq<sub>3</sub>, & cantus animi felicia leti  
argumenta sonant, reseratis aurea valvis,  
atria tota patent, pulchroq<sub>3</sub> instructa paratu,  
Cepheni proceres ineunt convivium Regis.

Sed mediis in colloquiis nuptialibus

--fremitu regalia turba

atria complentur, nec conjugalia festa  
qui canat, est clamor, sed qui fera nunciet,  
arma,

inq<sub>3</sub> repentitos convivium versa tumultus.

usque ad eò, ut casis utrinque quamplurimis, ipse  
Persens occubisset, nisi divino auxilio adjutus ex  
praesentissimo vitæ discrimine salvus evasisset. Nempe

Bellica Pallas adest & protegit egide fratrem,  
datq<sub>3</sub> animos.

Hæc



Hæc jam, Auditores, ad præsens applicate negotium,  
& Magistratum eodem quandoque Sole, quandoque  
saleuti, & eundem ad scopulum, ad quem Perseus, al-  
dere deprehendetis. Magistratus enim, siquidem  
pius sit & bonus, est instar molis istius Ovidianæ,

*---quam magno murmure fluctus  
oppugnat, manet illa, suoq; est pondere tuta.*

Quo fato & velut interno Genio ductus ille, quamvis  
non semper sedulas in apiculas incidit, neque pater-  
nas suas curas & admonitiones in id, quod debebat,  
cadere solum non sine gemitu animadvertit, tamen  
nihilominus officii sui velut talaria assumit, & præscri-  
pta munia sincerè & severè exequitur, sique forsitan  
opus,

*---immedicabile vulnus  
ense suo recidit,  
ne pars sincera trahatur.*

Interea Andromedam istam lectissimam & dilectissi-  
mam virginem, quæ velut contortis draconibus, &  
malis illis Geniis, monstrisque plus quàm tartareis cir-  
cumsepta est, & undique stipata, suo in gremio fovet,  
nec permittit unquam, ut illa derelicta velut cerva A-  
ætæonis canibus dilaceranda objiciatur, aut Harpyis  
Virgilianis conspurcanda concedatur. Nempe An-  
dromeda est Ecclesia, pura illa & pulchra CHRISTI  
sponsa, quàm varia & infinita ferè oppugnant hære-  
seon monstra, ipseque Diabolus vexillifer, imò dux

hostium



hostium juratorum sua contra hanc vibrat spicula, nihilque quam cædes, quam ignes, quam ruinam ubique minitatur. Hanc ergo totis viribus defendit Magistratus, veramque pietatem, sibi suisque, velut annulo nuptiali despondet, ut in hac vivant,

*Et nati natorum, Et qui nascentur ab illis.*

Andromeda est ipsa Academia, formosa illa virgo, quam, qui unquam boni, & ex auro illo Platonico formati, semper fecere maximi, & quando cum hac amicitiam inire potuerunt, se campos Elysios possidere, imò cælum accepisse sibi visi sunt. Hanc Magistratus ab omnibus malis, quantum, quantum potest, sartam rectam, salvam & incolumem divino adjutus auxilio conservat, ab hujus cervicibus omnia pericula avertit, privilegia ejus custodit, dotem auget, nihilque agit, nihil cogitat, nihil molitur, nisi Academiae emolumentum & salutem, quæ semper ipsi suprema lex est, & unice illuc tendit, & contendit, ut

*vitii resoluta cathenis*

*incedat virgo, preciumque, Et causa laboris.*

Andromeda denique est studiosus bonus quisque, qui paternis à foculis ad Academiam, tanquam ad emporium quoddam bonarum artium ablegatur, legibus & statutis viam & vitam conformes reddit, lectiones frequenter & diligenter audit, & instar apicularum

*--in saltibus omnia libat*

*--depascit Et aurea dicta*

omni que



MAGISTRATU ACADEMICO.

omniq̄ue contentione ad sacratissima pietatis, erudi-  
tionis & virtutis ascendent adyta, Professores ceu  
Patres verentur, & reverentur. Hæc Androme-  
da verè curæ est & cordi Magistratui Academico, ne  
forsan à fucis suo in mellificio impediatur, à Penna-  
listis, & non vocatis depositoribus, vel potius irri-  
soribus, & honorum tortoribus, barbatulis istis &  
personatis Geniis, velut à Draconibus Ovidianis tur-  
pivitorum cathena, nequitia, *αὐθάλας* & malitia  
Caucaso alligetur, alligata famæ, temporis, pecuniæ,  
imò etiam vitæ quandoque jacturam faciat.

Hi, Auditores, hi, sunt Magister Academicus  
labores, hæ cogitationes, hæ molitiones. At quo  
successu? Optimo undiquaque & felicissimo cre-  
detis vos opinor. Profectò crederem & ego, nisi  
quotidiana experientia me contrarium edoceret, &  
bonum quamvis semen spargatur, agricolarum Aca-  
ademicorum expectationi messem tamen non corre-  
spondere, ipsa horrea eruditionis sæpè valde vacua  
& inania faterentur. Etsi enim nec hîc desunt, qui  
Magistratui omnem probant & declarant obedienti-  
am & reverentiam, Præceptoribus si non statuem  
marmoream, aut aras lapideas, id quod Veronæ in  
gratiam Hieronymi Fracastorii dicitur fecisse Jose-  
phus Scaliger magni illius Julii Cæsaris Scaligeri fili-  
us, in mente tamen gratam erigunt columnam, &  
ad pietatis, honestatis & virtutis ipsis doctoribus &  
ductoribus ascendunt Parnassum, ipsorumq̄ue etiam  
parentes beneficia ista, quæ liberis suis in Academiis

D

à Ma-

la,  
ubi-  
Ma-  
an-  
.  
rgo,  
nico  
a hac  
possi.  
Ma-  
n po-  
oad-  
nia  
n au-  
si A-  
r ipsi  
to, ut  
.  
ni pa-  
pori-  
ous &  
ones  
rum  
.  
niquæ





à Magistratu & Professoribus præstita, gratissima recolant memoria, & omnia sua hisce Musarum domiciliis iterum offerunt & deferunt paratissimi: Tamen & hîc non pauci inveniuntur Milones, qui arborem istam Academicam, vel cuneis etiam adactis diffringere conantur. Inveniuntur Davi Terentiani, qui omnia, velut ille in comœdia, perturbant, confundunt, & cœlum terræ miscent. Inveniuntur Margitæ Homerici, qui

*---fruges consumere nati,*

nec ipsi suis invigilare volunt studiis, nec aliis iisdem operam impendere permittunt. Inveniuntur Cyclopes Euripedæi, qui nec Deum, nec homines verentur, neque per se frugi sunt, aut sibi sapere possunt, neque aliorum saluberrima consilia audiunt, bene monentibus non obtemperant, sed aversa fronte, & mente demente ad voluntarium non abeunt, sed ruunt exitium. Inveniuntur Gigantes Virgiliani, qui ipsi cœlo & Dîs omnibus bellum inferunt, siquæ forsan ob admissa crimina, quandoque etiam maledicta, flagitia, & facinora à Magistratu, quamvis paternè & sobriè puniantur, & ad meliorem vitam incitentur & instigentur, bone Deus, quam ibi montibus imponunt montes, & Pelion Ossæ, quam fremunt, quam gemunt, quam ringunt, quam fingunt, quam indignantur, quam debacchantur, & cum nihil sit, quod coràm & palàm Magistratui præsentî respondere, vel etiam cum veritatis aliqua saltem specie obji-

cere,



3

cere, tum noctu quietem clamoribus ante ædes in-  
 terrumpunt, famam ejus bonam maledictis, falsis &  
 falsis dictis, & mendaciis proscindunt, lapides gla-  
 diis feriunt, ipsum Acheronta, & quicquid uspiam est  
 Furiarum Infernalium ore blasphemis eructant, fene-  
 stras dejiciunt, fores effringunt, & nihil inausum, ni-  
 hil intentatum relinquunt, quo pio Magistrati mo-  
 lestias creare, curas duplicare, lacrymas extorquere,  
 magnum etiam dolorem injicere possint, quasi hæc  
 castra sint militum, à quibus omnis honestas, omnis  
 pietas, omnis legum reverentia, quàm longissimè  
 exulare debeat, quasi scelera, quæ non cernunt ho-  
 mines, Deus ignoret omnia, & nihil horum, quæ hic  
 geruntur, etiam in tenebris, videatvè, audiatvè,  
 quasi dierum omnium Sol occiderit, neque amplius  
 Atëlla & Nemesis, quam implorat Justitia, hisce  
 in terris obambulent, & malis flagellum minitentur,  
 quasi in extremo judicio factorum, imò etiam ver-  
 borum non sit reddenda ratio, neque in hac vita pii  
 à Deo amentur, foveantur & promoveantur, impii  
 & exleges abjiciantur, è libro vitæ deleantur, & in  
 æternum exitium & exilium præcipitentur. Uti-  
 nam atque iterum utinam nostris fenestris, ipsorum  
 læsam reparare possemus conscientiam, vel ab ultimis  
 Venetorum ditionibus vitrum asportari jubere-  
 mus, ut jucundum præberemus spectaculum, & sono  
 illo aliàs istis hominibus vehementer grato affectus  
 ad aliquam duntaxat harmoniam reduceremus. Sed  
 quod læsum est, læsum est.



τῶν δὲ πεπραγμένων  
 ἐν δικαίῃ καὶ παρὰ δίκην  
 ἀποίτον ἔδ' αὖ  
 χερόν τ' ὅ πάντων πατήρ  
 δύναϊο θέμεν ἔργων γέλῳ,

ut loquar cum Pindaro, nec fenestris nostris, nec januis, nec candelabris quicquam proficitur, aut perficitur. Quicquid tandem sit, D E U S est fortitudo nostra, D E U S est, piorum remunerator, autor & fautor, D E U S est malorum iudex, index & vindex. Tenetis jam, Auditores Optimi, tenetis Medusam à Perseo devictam, Andromedam liberatam esse, Minervam omnem hostium incursum & rabiem ab eo avertisse, & repulisse, sed quo medio, id verò nondum ex dictis tenetis. Attendite ergò.

Perseus gladio cingit se suo, imò Pallas manum subjicit auxiliatricem, ut Medusæ caput auferre, Pegasus alatum soli exponere, Musas novo fonte ditare, Andromedam liberare, hostes debellare, & tandem sponsam domum asportare, cumque laude triumphare possit. Quo verò medio Magistratus Academicus vitia auferat, doctosque & bonos Viros soli exponat, Musas gratissimis & hospitibus & colloquiis ditet, depressos liberet, hostes debellet, pietatem, honestatem, eruditionem & virtutem domum asportet, cumque laude triumphet, si scire avetis, Optimi vos optimarum artium & partium alumni, agite LEGES jam recitandas audite, & mente vestra recon-  
 dite.

R E C I-





R E C I T A T I O  
L E G U M.

**L**EGES æquissimas audivistis jam  
vos, qui adestis. Musarum filii  
Optimi, audivistis. LEGES, quas  
Deus ipse approbat, Leges, quas Principes  
Saxonie sanxerunt, LEGES, qua vestrum  
omnium emolumentum & salutem quaerunt.  
Ecquid Leges hasce averfabimini & asperna-  
bimini? Non credo. LEGES enim sunt illa  
Magistratus galea, qua boni quique sese tueri  
possunt, & tectolaterè, è mediis etiam flam-  
mis discedere. LEGES sunt gladius ille  
Magistratus, quo caput Medusæ discin-  
dit, & potentiam rebellium diffringit. LE-  
GES sunt ille uterus, in quo boni fœtus conci-  
piuntur, & perficiuntur, tandemque, ut Pe-  
gasmus ille ad sidera usque alis virtutis subvecti  
evolant & aspirant. LEGES sunt ille fons  
Hippocrenes, quo studia aliàs deserta & de-



spectata, velut gratissimo liquore sublevantur,  
 & ad seram posteritatem transmittuntur.  
 LEGES sunt Andromeda vitta virginalis,  
 quam tamen nec Draco ille infernalis attingere,  
 nedum laderere unquam potuit. LEGES  
 sunt talaria illa Magistratus, quibus cinctus ille  
 & supra mundanas sordes elevatus  
 justitiæ semper decurrit tramite, nec δωροφαισίαν  
 novit, nec πρῶτον πολιψίαν. Quare vos, ô Juvenes  
 lectissimi & dilectissimi, vos, inquam,  
 agite LEGES, quæ vestri custodes sunt, & libertatis  
 assertores, in oculis, in mente, semper  
 circumgestate, vestramq; vitam, & mores  
 juxta illas componite: Sic vos Andromeda  
 ista, hoc est, divina benedictio, bonorum Virorum  
 favor, Magistratus benevolentia,  
 Parentum amor, & omnis generis dona &  
 bona, velut agmine factò, subsequuntur, imò  
 comitabuntur. Mali, quos tamen in Studio-  
 sorum honestissimo ordine nos non inventuros  
 facile speramus, si qui tamen, non tantum,

formi-



----formidine pœnæ,  
*sed etiam se vero secundum leges coërcebuntur  
 examine, & intra honestatis cancellos conti-  
 nebuntur, quo tamen à labore, ut nos liberent,  
 omnes rogamus & obsecramus.*

**T**U verò, tu, magne Deus, tu respice Musas,  
 & fato JENAM prosperiore bea.  
 Pelle procul morbos & dira piacula pestis,  
 affictosque tuâ pro bonitate fove.  
 Cinge tuo Deus ô patrio sub numine RUTAM  
 SAXONICAM, & magnum protege, magne, decus.  
 RECTOREMQUE Scholæ nostræ defende JOHANNEM-  
 ERNESTUM, atque animo suffice consilium,  
 Ut dignam factis virtutem imitatus avorum,  
 felix arte regat publica templa, scholas,  
 Auxilio moderare tuo, moderare docentes,  
 ut dicant tibi, quod juvat atque decet.  
 Auxilio moderare tuo, moderare Juventam,  
 ut discat cautè; quod juvat atque decet.  
 Sic nomen, numenque tuum, laudesque sonabunt,  
 qui gaudent dulci nomine, CHRISTE, tuo.

D I X I.





No 593 BA

No. 593





ULB Halle

3

004 968 425



f

1107










calcitra  
rissimu  
lade à P  
enim h  
protect  
rectore  
bet? An  
bus ped  
manibu  
tæ æter  
gistratu  
hoc fa  
bit? En  
Magist  
forem,  
fore fel  
to flect  
pœnan  
quod v  
netrali  
darius:



um. Du-  
cum Pal-  
è. Deum  
torem &  
abit? quis  
occum-  
e comiti-  
mata, quæ  
ando vi-  
ri. Ma-  
a. At quis  
ore ege-  
a innuo.  
abent o-  
is hoc o-  
dice ira-  
effugiet  
"ομνα, &  
cutit pe-  
enè Pin-  
Angelos

